

unt maximè, ut opinor, causam Phænomeni hujus supra datam. Adde his *Wolferdum Sengverd. Philos. Natur. p. III. c. II. §. 5. p. 169.* Sed quam ob causam Autores in assignando mercurii termino aliquantum, ut patet ex §. *preced. 1. hujus cap.* discrepant? *Nobil. Sturmius* à duabus id dependere causis docet. (1.) A pedis ac digitorum variâ, per varias Regiones, imò ejusdem sæpè Regionis, diversas Urbes, magnitudine, quæ non patitur, ut eadem licet altitudo, eodem digitorum pedumve numero exprimi queat (2) A diverso Regionum ac urbium ipsarum positu, dum aliæ altius in ærem sublevantur, aliæ depressius ac humilius collocatæ sunt. *in Coll. Curios. Part. I. Auctar. Tentam. 3. p. m. 14.*

§. III. Aliud provenit Phænomenon, si tubus hydrargyro refertus unà cum epistomio vel digito claudente, ne quid effluat, non hydrargyro, ut antea, sed aquæ stagnanti immergatur, tunc enim subducto digito omnis ex *Baroscopio* mercurius in inferius vasculum aqua stagnante plenum delabitur, aqua contra, ex vasculo in tubum ascendens, locum à mercurio relictum occupabit, & hoc non filatim & placidè, sed bullatim, & magno cum tumultu, nititur enim exire mercurius, naturalem suum infra aquam locum petens, contra, aqua ob levitatem suam ascendere conatur, donec commisso veluti prælio, uterque vincat, vid. *P. Gass. Schottum in Techn. curios. L. 3. Cap. 1. §. 3. pag. m. 190.* item *Job. Christ. Sturmium Part. I. Colleg. Curios. Tent. 3. N. 2. p. m. 15.* Modo tubus iterum superne hermeticè sit clausus, nec tamen absolute necessarium (inquit *Reyberus in Dissert. De Aère Cap. XI.*) ut superior extremitas claudatur, sed idem præstaret tubus adeò altus, qui caput supra Atmospheram extolleret, tunc enim æque excluderetur aër premens, ac in fistula, aliter à parte clausâ fit.

§. IV, Phænomeni hujus causa ex proprio fluidorum corpo-